XVIII. Venditur & Cobaltum tantum toſtum & cum duabus vel tribus partibus ſilicum vel quarzi commixtum, ſub titulo *Zaflor*, item *Zaffera*, pro figulis. Ubi hoc meretur commemorari, quod pulvis hicce in vaſis, quibus devehitur, tam compactum fiat, & quaſi concreſcat, ut duri lapidis inſtar, malleo opus habeat ad comminuendum.

XIX. Cæterùm Cobaltum per ſe argentum non continet. Quamvis enim detur ejuſmodi vena, ex qua nobile hoc metallum excoquatur, tamen non niſi per accidens fieri exinde liquet, quia eadem vena illic plus, hic minus, & ut plurimum planè non argentifera eſt.

XX. Hoc non obſtante, argentum nativum ſuper Cobaltum non rarò reperitur, quod verò non aliud, quam hoc arguit mineram illam argenti non incongruam eſſe matricem.

Tantùm ferè eſt, quod, propriâ experientiâ de Cobalto cognitum, recenſione dignum duxi. Quod ſupereſt, L. B. rogo, hanc rudi, quod dicunt, Minervâ conſcriptam commentationem, ſereno vultu velis ſuſcipere, & cognoſcere, quod nec ego iſtud abs me alienum arbitrer, quidquid iis ſolet accidere, qui, nullo duce prævio, fragoſas & inacceſſas vias, ad Naturæ arcem tendentes, primi invadunt. Vale. Perſcripſi *Lipſiæ*, Menſe *Quintil.* A. R. S. MDCCXXVI.

F I N I S.

ERRAT. Pag. 197. Lin. 24. lege *laudatus.*